







1719, 22<sup>2</sup>  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

XXVII  
28

# INJURIA NOVERCARUM ACTIVA ET PASSIVA

Q<sup>U</sup>AM

CONSENSU ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS  
IN ALMA ELECTORALI UNIVERSITATE ERFORDIENSI

PRÆSIDE

DN. ERNESTO TENZELL JCTO

EMINENTISSIMI PR. ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO RE-  
GIMINIS, FACULTATIS JURIDICÆ DECANO, JUDICII PRO-  
VINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE, AC DICTÆ CL-  
VITATIS CONSULE PRIMARIO.

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORALEM RITE CAPESSENDI

D. XIV. NOV. ANNI MDCCXIX.

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

AUTOR

JOH. HEINRICUS SCHMIDIUS MACRO-SAARA VARISCUS

JUR. PRACT.

HORIS CONSUVETIS.

ERFORDIÆ

Typis JUNGNICOLIANIS.





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIBUS

INJURIA  
NOVERCARUM  
ACTIVA ET PASSIVA

CONSENSU AUSTRIAE ET SARDINIAE  
IN AUSTRIAE IMPERII ET SARDINIAE REGNI

DR. ERNESTO TENNELL JOTO

AVIENSIENSIS ACADEMIAE JURIS  
CANTUARIENSIS FACULTATIS JURIS  
VICINIAE ACADEMIAE JURIS

PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORALIS RITE CAPESSE

IN AUSTRIAE IMPERIO  
ET SARDINIAE REGNO  
AUSTRIAE IMPERII  
VICINIAE ACADEMIAE JURIS

JOH. HENRICH SCHUBERTUS  
VICINIAE ACADEMIAE JURIS  
AUSTRIAE IMPERII  
VICINIAE ACADEMIAE JURIS

DR. ERNESTO TENNELL JOTO





VIRO  
PLURIMUM REVERENDO  
DOMINO  
M. JOH. HEINRICO  
SCHMIDIO

PASTORI ECCLESIAE MACROSA-  
RENSIS MERITISSIMO

Patri suo Germano ad urnam usque  
colendo



HANC DISSERTATIONEM IN-  
AUGURALEM

IN DEVOTISSIMI ANIMI  
TESSERAM

Consecrat

*Filius obsequentissimus*

JOH. HEINRICUS SCHMIDIUS  
Macro Saara Varifcus.





J. N. D. N. J. C.

## PROŒMIUM.



§. I.

*Disserationem pro Licentiâ m-  
ditatus ante omnia de certâ di-  
sputationis materiâ meritò soli-  
citus fuit. Sicuti enim publicis  
se exercentes certaminibus Graeci  
certum habebant stadium,  
in quò publica ederent spe-  
ctacula. Gell. lib. I. N. A. c.  
I. §. 6. Inst. de Rer. Div. L.  
80. §. I. ff. ad Leg. Falcid.  
ita etiam publicè disputantes cer-  
tum habent materiae circulum, in quò  
eruditionis suae specimina  
sistant spectanda.*

A 3

§. II.



§. II.

*Exspatiatus autem in amplissimum Juris materiarum campum, de novercis earumque injuriâ tam activâ, quam passivâ ventilanda quædam, proponere selegi, eò quidem inter alia motus, quod non solum Deo sic moderante, novercam non ita pridem, & quidem, Ipsi sint gratia, feliciter nactus, sed quòd hæc ipsa quoque materia in foro sit versatissima, & multi dentur casus practici, nec pauciores de eâ scripta sint leges, quales inter alias bene multas, sunt L. 4. ff. de inoff. test. l. II. C. de furt. et L. I. C. in quib. Caus. cess. long. temp. præscript. ex sic porrò.*

§. III.

*Neque vero memini, me vidisse unquam disputationem de eadem materiâ agentem. Vidi quidem disputationem juridicam de Jure novercarum singulari sub præsidio Celeberrimi J.Ci CHRISTOPH. PHIL. RICHTERI Ao. C. 1662. Jense habitam, sed non æque de Injuriâ novercarum.*

§. IV.

*Ordo autem Dissertationis meæ esto sequens: Omnia eribus includam capitibus, agamque primò de onomatologiâ, c. 1. deindè de pragmatologiâ, & quidem de injuriâ novercarum activâ c. 2. de injuriâ earundem passivâ c. 3.*

Cap. I.



CAP. I.  
DE  
ONOMATOLOGIA.

§. I.



Primò igitur jure meritòque in-  
choamus ab onomatologiâ, eamque  
præmittimus pragmatologiæ. Si-  
cuti enim juxta Ulpianum *L. 1. ff.  
pr. de Just. & Jure*, juri operam  
daturum ante omnia nosse oportet,  
unde nomen juris descendat; ita  
mihi acturo de injuriâ novercæ-  
rum præ cæteris cura nominum est habenda.

§. II.

Est igitur, quod novercam attinet, illa nova pa-  
tris uxor, *L. 14. §. 4. ff. de Ritu Nupt.* vel prolixius pau-  
lo: uxor, liberis & aliâ uxore natis superinducta arg.  
*L. 14. §. 4. ff. de Rit. Nupt. & L. 4. §. 6. ff. de Grad. &  
et Affin.*

§. III.

Excluditur itaque à nomine novercæ juxta prin-  
cipia legum Romanorum primò CONCUBINA.  
Uti enim concubinatus matrimonium non est. HAHN  
ad



8 DE INJURIA NOVERCARUM

ad WESENB. tit. de Conc. in fin. ita concubina nec uxor est, nec noverca, quæ uxor esse debet juxta §. *precedentem* 2. & *ibi cit. LL.* Et quamvis eadem, nempe concubina, cum patre vivat, cum eò corpus misceat, & uxoris locò sine nuptiis in domò sit, uxor tamen non est: *L. 144. ff. de V. S. LAUTERB. in Comp. Jur. tit. de concub. p. m. 459.*

§. IV.

Exterminatur porro, QVÆ EX INCESTIS ET ILLEGITIMIS NÜPTIIS EXTRUSA; quia tale quovque matrimonium omninò nullum est §. *pen. 12. Just. de Nupt. L. 6. Cod. de incest. & inut. nupt.*

§. V.

Removetur denique patris sponsa. Quamvis enim sponsa de præsentì uxor dicatur quandoque; uti exemplum est in *L. si uxor 13. §. Divi 3. ff. ad L. Juliam de Adult.* & text. in *L. eum qui duas juncta gl. 2. Cod. de Adult.* & in *L. ubi fuerit 15. ff. de Cond. & Demonst.* Est enim hîc ratio singularis quædam juris Romani, quod nuptias hoc respectu consensus facere dicatur, non concubitus, juxta *dict. Leg. 15. et L. 30. ff. de R. J.* adeoque Lex Julia, quæ de uxore loquitur nuptiâ, etiam ad sponsam pertinet, ex fundamentò, quod nec matrimonium quaecumque, nec spem matrimonii violare permittitur *cit. Leg. si uxor*; propriè tamen neque uxor est, neque noverca. Sponsa enim sola nec uxorem, nec novercam constituunt, arg.



arg. §. 9. *Inst. de nupt. L. 12. §. 1. ff. de R. N. sed*, ut noverca fiat, secundæ accedant nuptiæ necesse est. Taceo, quod jure Canonicò ad consummatum matrimonium copulatio sacerdotalis requiratur *Novell. Leon. 74. & 89. can. 1. seqq. Caus. 30. quest. 5.*

## §. VI.

Equidem dicta sacerdotalis copulatio apud Protestantes absolute necessaria non est, BERGER *in Oecon. Jur. lib. 1. tit. 3. §. 8. n. 4. p. m. 115.* id quod inter alia indè patet, quod liberi ante copulationem nati, modò sponsalia publica facta sint, pro legitimis habeantur STRUIV. *in Synt. Civ. Ex. 29. th. 26. p. m. 106.* BERG. *Oeconom. Jur. Libr. 1. tit. 3. §. 8. n. 4.* Ordinis tamen in Ecclesiâ servandi & bonæ disciplinæ gratiâ inter Protestantes etiam receptum est, ut ad perfectum constituendum matrimonium opus sit copulatione & benedictione sacerdotali BRUNN. *in Comment. ad L. 21. & 22. Cod. de Nupt. & pluribus idem demonstrat MÜLLER. de Bened. Sacerdot. Sect. 1.*

## §. VII.

Jure certe Saxonico ad consummationem matrimonii, quoad jura successione, sola copulatio sacerdotalis non sufficit, sed præterea consensio thalami est necessaria, STRUIV. *Synt. Civ. Exerc. 38. th. 41. p. m. 453.* Ita tamen, ut non necesse sit concubitum accessisse, BERG. *Oeconom. Jur. libr. 2. tit. 4. §. 43. not. 2. p. m. 466.* Adeoque noverca, sive secunda patris uxor, antè pro uxore successione capaci haberi non potest, quam postquam per

B

con-



confensionem thalami matrimonium fit penitus consummatum. add. *Pand.* L. 1. art. 45. et l. 3. art. 45.

## §. VIII.

Includitur, autem ea, quæ adoptivi patris uxor, L. 14. *pr. ff. d. Rit. Nupt.* it. avi & proavi uxor, *dict.* L. 14. §. 4. vid. GOTHOFRED. *in not. ad h.l.* ubi sequentia leguntur verba: *patris, avi & ulterius, sive naturalis, sive adoptivi uxores, mihi sunt novercæ.*

## §. IX

Et tantum de vocabulô NOVERCÆ, sequitur vox INJURIA.

## §. X.

Est verò INJURIA id quod fit vel contra leges vel in fraudem legum, vel, ut Ulpiani verbis utar, in L. 1. *ff. de Injur. & fam. libel.* injuria ex eò dicta est, quòd non jure fiat, & omne quod non jure fit, injuriâ fieri dicitur.

## §. XI.

Equidem neque hæc, quibus injuriam delineavi, neque quæ superius de naturâ novercæ dixi, accuratam definitionem vendito, sed tantum aliqualem descriptionem. Siquidem omnis definitio in Jure Civili periculosa est, parum est enim, ut non subverti posset. juxta L. 202. *ff. de R. J.*

## §. XII.

Eandem vero & non aliam descriptionem admittit ipsius vocabuli Etymologia. Sicuti enim quod Ippis & tonforibus notum, injuria ab in, quod in compositio-



positione quandoque idem est, ac non, & jus, originem trahit; jus verò à jussu, postremâ syllabâ per apocopen detractâ, & quæ antiqui jura seu jussa appellare solebant, nos jura vocamus. GUILH. GROTIUS Jctus Delph. *de principiis juris natural.* C. 1. §. 2. p. m. 2. Vel ex mente Imperatoris à justitiâ, L. 1. ff. *de Just. & Jur.* Justitiam videlicet pro justò, abstractum pro concretò ponentis, dicit. GROTIUS. L. ita omnino injuria nihil aliud est, quam quod fit contra jura.

§. XIII.

Nec obstat, quod injuria damnum dicitur & detrimentum, L. 206. ff. *de R. J.* ubi hæc verba: *jure nature æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiores*, L. 14. ff. *de Cond. indeb.* & PAULUS in L. 151. *de R. J.* Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet, quam legem DIONYSIUS GOTHOFREDUS in notis clariorem reddit his verbis: *Damnum dare, est injuriam facere*; describitur enim injuria ab effectu & dicitur esse non solum id, quod contra jus fiat, sed etiam quò alteri damnum inferatur. Add. THEODOR. *Colleg. Crim. Cap. 2. aphor. 12. n. 1. seqq.*

§. XIV.

Hæc ipsa injuria aut fit re, aut verbis, aut scriptò GROTIUS. *cit. loc. c. 14. p. m. 227.* Cui receptæ aliàs trichotomiæ injuriarum in realem, verbalem & literalem



lem adjicitur, quartò ea, quæ sit per gestus, & quintò, quæ per picturas, vid. MATHÆI *de Crimin. ad Lib. XLVII. tit. 4. Cap. 1. n. 1. & seqq.* ROTH. Jctus Jen. *in diff. de charact. p. 27.*

## §. XV.

Inspecie verbalis à scholasticis dividitur in quinq; species novas, quarum 1.) contumelia 2.) detractio 3.) susurrus 4. irrisio 5.) Maledictio, de qua divisione videlicet sæpè nominatum GROTIUM *p. m. 228.*

## §. XVI.

Imperator facit bimbrem, & ait, injuriam fieri aut re aut verbis, paulo post pergit & in tria dispefcit membra, ita tamen, ut dissentiat à GROTIIO similiter faciente, & omnem injuriam aut in corpus inferri aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinere, asserat *tit. L. 1. ff. de Inj. & fam. libell. Conf. THOMAS. Jpd. Div. Lib. 2. Cap. 1.*

## §. XVII.

Quæ opiniones distinctæ uti facile conciliari possunt, ita non diffitemur, novercas omnibus his modis injurias & facere & pati posse, imò sæpenumerò solere.

## §. XIX.

Sed missis omnibus aliis injuriarum speciebus, (impossibile enim esset, & neque temporis ratio, neque chartæ penuria pateretur de singulis aliqua saltèm in medium proferre) hâc vice de injuriâ novercarum reali tantum,



tantum, & quidem tam activa, quam passiva pauca proponamus,

## CAP. II.

DE

INJURIA NOVERCARUM  
ACTIVA.

§. I.

**I**njuriam novercas facere privignis adeo certum habetur, ut inde novercale odium in proverbium abierit, propterea, quod novercis innatum sit fatale quoddam & irreconciliabile odium in privignos **ARNOLD.** de REYG. in *Thef. jur.* p. art. 2. p. 467.

§. II.

Ex quo est, quod multa in iure contra novercam præsumantur **MASCARD.** de probat. Vol. 3. Conclus. 1114. Unde porro tradunt interpretes, privignum non cogi habitare cum novercis in eadem domo, **BALDIUS** in *Auth. hoc locum. Cod. si sec. nups. mul.* Ex quo etiam fluit, quod liberi apud novercam educari non debeant / **I.** *Cod. Ubi pup. educ. deb.* Inde quoque præsumitur, quod, quicquid pater facit contra filios habentes novercas, id fecisse præsumatur novercalibus persuasionibus inductus. *Conf. Mey. ad Jus Lubec. Part. 2. tit. 2. art. 2. n. 19. & seqq. SCHNEIDW. ad pr. Instit. d. inoff. test. n. 5.*

B 3

§. III.



## §. III.

Atque ex hōc ipſō genuinō fundamentō deducendum est odium secundarum nuptiarum. Hæ enim licet in jure permissæ sint, mōdō non sint nimis festinatæ, & constat de morte prioris conjugis. STRUV. *Synt. Civ. Exerc. 29. th. 13.* Adeo, ut neque promissio de servandâ viduitate conjugem superstitem stringat *t. t. C. de ind. vid. toll.* Attamen tam jure Civili, quam Canonicō odiosæ habentur, *t. t. Cod. et X. de Sec. Nupt.* Siquidem per secundas nuptias anima defuncti contristari dicitur. *Nov. 22. cap. 43. §. nos igitur.* Et plura proindè in odium secundarum nuptiarum et favorem liberorum prioris matrimonii constituta sunt, v. g. quod mater binuba amittat tutelam *Nov. 94. cap. 2.* item proprietatem lucrorum nuptialium *l. 5. C. de sec. nupt.* Nec possit binubus in conjugem nubentem ultra portionem virilem plus transferre juxta L. Hæc edictali 6. C. de Secund. Nupt.

## §. IV.

Est autem INJURIÆ hujus ACTIVÆ à novercâ in liberos privignos admixtæ, perspicuum exemplum in L. 4. ff. de inoff. testam. ubi sequentia: *Non est enim consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt, quod plerumque faciunt, malignè circâ sanguinem suum inferentes judicium, NOVERCALIBUS DELINIMENTIS INSTIGATIONIBUSVE corrupti.* Sicuti enim *d.L.* novercæ novercalibus delinimentis instigationibusve adeo corrumpere mari-



maritos præsumuntur, ut malignè circà sanguinem suum inferant judicium, & illas in maximâ bonorum parte scribant, ac liberos suos ab omni, vel potiori excludant; ita injuriam testamento suô patres adversus liberos suos inducere illa expressè pronunciat, nec consentiendum esse, sed contradicendum potius, graviter impedit.

## §. V.

Et sanè hæc injuria ejusmodi est, quæ ipsis juribus naturæ contrariatur. Sicuti enim ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando, L. *Cum rationalis* 7. ff. d. *Bon. damn.* Ita noverca privignos defraudans spe hereditatis paternæ & expectantiâ, ac detrahens intereâ necessaria vitæ honestè transigendæ subsidia, adeò injuriosa in ipsos est, ut principis naturalibus malitiosè refragetur, add. PINGITZ. *quæst. Jur. Sax. qv. 46.*

## §. VI.

Atque & hoc fundamentò Jure civili suorum heredum nomen liberis indicum est, & viventibus adhuc parentibus ipsi paternorum bonorum domini sunt constituti, juxta L. *cit. 7. pr. ff. de bon. damn. & L. n. ff. de lib. & postb. & §. 2. Inst. d. Hered. qualit.* Vid. NÆVIUS in Tract. de Jure Clericorum p. m. 612. & in Tract. de Jur. patr. p. m. 238.

## §. VII.

Ex câ ratione ne judiciò quidem parentis nisi meritis



ritis de causis, quarum XIV. numerantur in *Novell. us. C. 3. & seqq.* liberi sumoveri à successione possunt. Juxta sæpè cit. *Leg. 7. ff. d. B. D.*

## §. VIII.

Quin imo eandem ob causam Jure Civili & veteri & recentiori, Conjuges sibi invicem succedere non poterunt; Jure veteri & LL. XII. tabularum ab intestatò mortuò successerunt descendentes, his autem deficientibus collaterales, *t. t. ff. de suis & leg. hered.* jure recentiori & Novellarum descendentes, ascendentes & collaterales, *Nov. 118. vid. STRUV. J. prud. Rom. Germ. for. libr. 2. tit. 30. §. 2. 3. & seqq.*

## §. IX.

Novissimis equidem constitutionibus admissos esse conjuges non ignoramus, sed non nisi in duobus factum est casibus I. ) si matrimonium fuit sine dote aut donatione propter nuptias, *Nov. 117. c. 5. 2.* ) si conjux præmoriens fuit locuples, superstes autem inopià laboravit. *Auth. præterea Cod. undè vir & uxor.*

## §. X.

Jure quidem Saxonico non ita stricta est conjugum successio, quam jure civili, siquidem superstites sibi invicem succedunt unà cum liberis, etiamsi nec dos aut donatio propter nuptias, deficiat, nec inopià superstitis adfit, modò uxor propria bona conferre velit. *BERLICH. Conclus. Pract. part. 3. conclus. 27. n. 38. & seqq.* & quidem ta, ut uxor aut noverca collatis bonis propriis ex bonis mariti



marij, si tres vel pauciores liberi adfint quartam, sin plures, portionem virilem capiat, RICHT. *tract. de succ. ab intest. Sect. 4. membr. 2. n. 57.* attamen tantum abest, ut diminutionem paternæ hereditatis per novercarum instigationes factam, & ipsi naturæ juri contrariam approbet, ut potius testamentum inmodicis, importunis & dolosis sollicitationibus extortum pro nullô habeat, BERG. *Oeconom. Jur. lib. 2. tit. 4. §. 13. p. m. 368.* æque ac Jus Civile, arg. l. 4. ff. de inoff. test. arg. l. 1. C. d. S. S. *Eccles.*

## §. XI.

Equidem videri cuiquam posset, ac si ejusmodi blanditiæ minimè sint injuriæ. Siquidem blanditiæ novercales valorem testamenti non infirmant, per L. ult. ff. & Cod. si quis aliq. test. prob. sed videtur, re ipsâ verò omninò sunt injuriæ. Mitto jam, quod L. 144. de R. J. nostro nomine quasi respondere videatur: taceo, quod blanditiæ omninò vim testamenti infringant, si nimium haud justò tempore, & in articulo mortis adhibeantur, aut si sint nimis importunæ, STRYK. *diff. de Jure Bland. c. 3.* & saltèm dico, quod cit. L. 4. ff. de inoff. test. non de blanditiis & delinimentis simplicibus loquatur, sed de instigationibus importunis.

## §. XII.

Magna autem differentia est inter blanda delinimenta, & inter falsas & dolosas persuasiones. Illa animum tantum movent, non verò violenter impellunt,

C

nec



nec glaucoma intellectui obijciunt; hæ verò libertatem consensus in testandò impediunt, ac proindè testationem ipsam ipsò Jure irritam reddunt, *l. n. C. de test. mil.* ubi *Captatorias institutiones etiam in militis testamento nullius esse momenti manifestum est. & l. 70. ff. d. hered. instit.* ubi: *Captatorias institutiones non eas senatus improbarit, qua mutuis affectionibus judicia provocaverunt, sed quarum conditio confertur ad secretum aliena voluntatis.* Benè igitur DIONYS. GOTHOFREDUS in notis ad *Leg. 3. Cod. si quis test. prob.* *Blanditiis licet permovere testantem, ut aliquid nobis testamento suo relinquat, vis sola hæc constitutione prohibetur, non blanditiæ.*

## §. XIII.

Tales vero instigationes sunt; Mendacium, Inebriatio marti, quâ ad testandum compellitur, insimulatio facinoris privignorum, quò pietas parentis læso, & quod dignum exheredatione, & alia, quæ erumpunt vel ex ommissis solennitatibus, testibus suspectis adhibitis, tabulis noctu privignis absentibus confectis, & annexis plurimis ac insolitis cautelis, patris corruptionem per stimulos novercæ ostendentibus &c. RICHT. *Diff. de Jur. Noverc. sing. §. 22.*

## §. XIV.

Cæterum hic subjiciendum est, quod talis dosus novercarum non præsumatur, verùm ab allegante probandus sit. Quamquam enim generalis præsumtio contra

tra



trâ novercas sit de malô erga privignos affectu; attamen specialis contrâ singulum individuum cessat, ut inde qui dolum à singulari subjectô commissum allegat, hunc omninò tanquam fundamentum intentionis suæ probare debeat. arg. l. 2. ff. de Probat. add. CARPZ. Jurpr. forens. part. 3. Const. 5. def. 7. seqq. MENOCH. lib. 4. præsumt. 11. & seqq.

## §. XV.

Et quamvis cit. L. 4. novercas ab injurâ absolvere videatur; dum parentes accusat, qui eam adversus liberos suos testamentô inducunt; tantum tamen abest, ut absolvat, ut potius causas constituat impulsivas, parentes verò efficiantes. Bene in hanc rem SCHNEIDEW. in Com. ad Inst. tit. de inoff. test. n. §. p. m. 324. quicquid pater facit contrâ filios habentes novercam, præsumitur facere persuasionibus novercalibus adductus ad hóc. Undè nec tale malignum judicium circâ sanguinem suum tolerandum est.

## §. XVI.

Hæc ipsa novercarum delinimenta; vel instigationes potius injustas considerans sequentia scribit AMBROSIIUS: Cui non est satis unum novisse cubile is omnem erga liberos deponat affectum. De iisdem queritur Menalcas ille apud Virgilium h. m.

De grege non ausim quicquam deponere tecum.  
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca.

C 2

§. 17.



## §. XVII.

Et hæc est species injuriæ privignis à novercâ factæ maritô vivente, sequitur alia, quam facere solet eadem ipsô extinctô.

## §. XIX.

Nimirum potest contra novercam post mortem patris in bonis mariti commorantem præsumtio quandoque oriri factæ defraudationis aut expilatæ hereditatis in præjudicium concurrentium liberorum; quò casu juxta dispositionem *l. ult. §. 10. Cod. de jur. deliber.* poterit ad juramentum noverca adigi, modò suspitionis justa quædam adsit causa, Hæc enim si cesset, nec purgatorium locum habet, quippe puod sine indicis nunquam à judice potest deferri. STRUVI *Syn. Civ. Ex 17. th. 45.* nec judiciale à parte delatum quia talis imputatio incideret in crimen, at verò in criminalibus non locum habet juramenti delatio à parte facta, COLERS *dec. 122. n. 15.* BERLICH *par. 2. dec. 297.*

## §. XIX.

Equidem heres in genere inventarium scribere, & si iis quorum interest, majorem putaverint esse substantiam à defunctô relictam, præstare tenetur juramentum, *L. cit.* Ideò vero præter inventarium requiritur juramentum, quia Jure Civili obsignatio incognita, absque quâ, antè inventarium confectum, facile bona multa supprimi potuisse credibile est. Eaque propter suspicio fraudis rarius



rarius cessavit, & obtinuit, ut postulantibus iis, quorum intererat, heres sacramentò inventarium confirmare obligaretur. MOD. PISTOR. *part. 4. qu. 175. & 176.*  
 SAM. STRYK. *in us. modern. ff. tit. de Jur. deliber.*  
 §. 4.

## §. XX.

Hodiè inventariò ritè confectò cessat Juramentum, quippe quod, vel potiùs jurata specificatio, illius defectum supplere dicitur. Hinc juxta *part. 3. in Const. Elect. 3. & Decis. Elect. Noviss. 21.* heres obstrictus est ad edendum inventarium, aut in ejus defectu juratam specificationem conf. CARPZ. *L. VI. Respons. 66.*

## §. XXI.

Remedia heredem ab hòc onere liberandi fuerunt & sunt hodiènum duo I. ) testatoris morientis specificatio, hanc enim factà heredes necesse habent testatoris religioni stare, aut minimè fruuntur his quæ relicta sunt, *Arth. quod obtinet C. de probat. 2.* ) à patre moriente heredi facta specificationis jurata remissio, *L. ult. §. 1. C. Arb. tut. GOTHOFRED. in not. ad b. L.*

## §. XXII.

Et quanquam hæc liberatio nulla est respectu Creditorum et legatariorum, quippe quibus nihil ex hòc præjudicii comparatur. *Nov. 48. c. 1.* nulla respectu liberorum, quatenus legitima eorum læditur, [quæ semper salva est] ipsi, jure naturæ debita. *L. 32. & 36. §. 2. C.*



*d. inoff. test.* ubi naturale debitum dicitur: valet tamen cæteroaquin, nisi dolus sit manifestus, BERG. in *Oeconom. Jur. L. 2. tit. 4. §. 50. not. 9.*

## §. XXIII.

Sed novercæ, exstantibus ex priori matrimonio liberis ejusmodi remissionem fieri planè non posse, etiam si maritus non solum simpliciter remiserit, sed etiam liberis juratam specificationem petentibus jacturam hereditatis ad legitimam usque indixerit, judicant non semel JCI Wittebergenses vid. WERNHER. *part. obs. 17.* & BERG. *cit. loc. L. 2. t. 4. §. 15. n. 8. p. m. 375.* ubi sequens Mens. Maj. 1709. à Fac. Jur. Witteberg. lata legitur sententia: *Daß Titii Kinder gegen ihre Stieff-Mutter ohne Verletzung des väterlichen letzten Willens und Verlust des Erb-Theils usque ad legitimam, der En- des-Delegation zu gebrauchen wohl befugt.*

## §. XXIV.

Et quamvis Cit. BERG. *cit. loc.* naturali etiam matri, factâ licet sibi à maritò remissione, juramentum non quidem specificationis, sed judiciale à liberis deferri posse asserat, addit tamen causam illius dolum, qui in judiciali jurejurando arguatur, & cui tanquam futuro, remissio mariti servire nequeat.

## §. XXV.

Ratio autem nullitatis remissionis novercæ factæ  
in



in promptu est. Nimirum aucupes præsumuntur novercæ bonorum privignorum, quarum malignum iudicium minimè tolerandum RICHT. *in diff. de Jur. Nov. Sing. §. 21.*

## §. XXVI.

Et hæc est altera illa species Injuriam novercarum privignis, morte patris secuta inferri solita. Quamquam, quæ hæctenus de novercis dicta sunt, non de omnibus intelligenda esse, gratis concedimus. Dantur enim aliter facientes, nec omnes novercæ reverà sunt novercæ, hoc est nocentes arcus, uti nimis durè nomen novercæ exponitur. SCHNEIDEW. *ad pr. Inst. de inoff. test. n. 6.* Sic in *L. 3. ff. de Castrens. Pecul.* Noverca reliquerat privigno suo pecuniam ad castrenses seu militares res comparandas. In *L. 31. §. 2. ff. de adm. vel transf. Leg.* noverca legaverat filio suo aurum pondo quinque, similiter in *L. 5. Cod. ad Senatus conf. Trebell.* Noverca voluit privignum suum ex hereditate suâ adipisci dodrantem. Et sicut *L. 15. Cod. de neg. gest.* vitricus paternum habere affectum dicitur, ita maternum habere quandoque novercam experientia testatur. Atque tantum de injuriâ novercarum activâ, sequitur passiva.



## CAP. III.

## DE

INJURIA NOVERCARUM  
PASSIVA.

## §. I.

Sicuti de activâ non nisi pauca protuli, memor scopi, qui non est commentarium scribere prolixum, sed theses tantummodo quasdam proponere ventilandas; ita idem acturus ero, dicturus de passivâ.

## §. II.

Quod verò novercæ multas & à multis patiantur injurias, HIERONYMUS, non solum nomine, sed et opere sanctus, sequenti ad novercam factâ, eaque emphaticâ, adostrophe emphaticè testatur: *Quod si vir ex priori uxore sobolem habens domum te introduxerit, etiam si clementissima fueris, omnes comædi & mimographi in novercam sevissimam reclamabunt, si privignis languiderit caput, infamaberis ut venesica, si non dederis cibos crudelis,* MULLER in *presid. Dom. Illust. Cap. 4. pos. 10.*

## §. III.

Sed mittimus hæc, & multa ejusdem farinae alia, atque ad leges nostras transgredimur.

## §. IV.

Non autem injuriam venditamus passivam, quod inju-



injustè noverca pati videtur, re verò verâ non patitur

## §. V.

Sic 1.) injuriam pati videtur, quod sine veniâ in jus vocari potest. SCHNEIDEW. in *Com. ad. §. penal. quoque. 12. Inst. de act. n. 49. p. m. 764.* Ubi & ratio invenitur, quia famosa actio contra eam intentari potest. Quanquam enim contrarium asserendum videatur ex eò, quod reverentia, quæ debetur marito, eadem etiam debeatur uxori circa vocationem in jus, juxta *L. 1. C. de in jus. voc. L. ult. C. de incol.* At verò clari juris est, quod pater absque veniâ in jus vocari non possit, per *L. 4. §. 1. ff. de in jus voc.* Hoc tamen non obstante contraria opinio verior, siquidem illa reverentia, quam noverca à liberis privignis exigere potest tantum in civili quâdam ratione consistit, non verò à naturali necessitatis jure dependet, in quò tamen se illa veniâ à Pratore impetranda fundat. Conf. CACHE-RAN in *Decis. Pedemont. dec. 31.* ubi casum in termino pertractat.

## §. VI.

Sic 2.) injuriam pati videtur, quod actio furti, quæ famosa est §. 2. *Inst. de poenâ tem. litig. contra eam potest institui. L. 11. C. de furt. ubi de his qui sisbraxisse novercam pupilli tui precibus significas, rectorem ad provinciam, qui si eam, posteaquam dominus rerum is, pro quò supplicas, factus est, aliquid furatum cognoverit, non igno-*

D

748



rat in quadruplum furti manifesti, nec manifesti verò, dupli actione furti constituta condemnationem formari. Cujus rei rationem reddit STRYK. in *Ann. ad LAUTERB. tit. de furt. ad verba: Etiam novercam p. m. 983.* quia jura inter hanc & privignum præsumunt odium, nec vinculum reverentiæ concurrunt. Est vero circa *d. L. 11. C. de furt:* destinguendum, utrum mariti mortui bona jam ab herede apprehensa sint, an nondum apprehensa. Priori casu, si noverca, post apprehensionem bonorum per heredem factam, aliquid surripuerit furti tenetur, juxta *d. L. 11. C. Posteriori casu, si bonis nondum ab herede apprehensis aliquid abstulerit, furti non tenetur, secundum L. 17. C. de furt: si quidem hereditati jacenti furtum fieri non dicitur C. 2. in fin. L. ult. ff. de Crim. expil. hered.*

## §. VII.

Verum ulterius quæritur, si noverca antè aditam hereditatem & apprehensam possessionem rem surripuerit, & post aditionem atque apprehensionem continuè contrectationem, an furti conveniri possit? Affirm. quia nova contrectatione novum fit furtum, & ita actio de novò nascitur. BRUNN. in *Comment. ad. Cod. ad d. L. 11. Cod. Nec contrariatur L. 9. pr. ff. de furt. quippe quæ de actione non noviter natâ sed semel natâ loquitur. BRUNN. c. 1.*

## §. VIII.

Sic 3.) injuriam pati videtur, quod et si liberi, qui  
ma:



manus adversus parentes elevaverunt, & conati sunt plagas inferre, si hoc factum vulgo constet, & scandalum sit datum, publicè ex suggestu denominantur, abolendi scandali ergo, illud tamen quoad conatum ad novercam non est extendendum per rationem à MÜLLERO in *diff. de pœn. p. 86.* datam, quia propriè loquendò vitricus, noverca, socer & socrus parentes non sunt, sed solum affines *L. 4. §. 7. ff. de Grad. & Affin. & saltim locò parentum censentur. §. 7. Inst. de nupt. l. 10. ff. Sol. matr.*

## §. IX.

Sic 4.) injuriam pati videtur, quod, licet filius parentès suos necans, puniatur pœnâ legis Pompejæ de parricidiis *L. 9. §. 1. ff. cod.* non tamen æque, si uxorem parentis sive novercam suam interfecerit. BRUN. ad *L. Sicut, 1. Cod. de in jus vocando p. m. 76.*

S. X. Cui opinioni assentitur *Const. Elect. 3. p. 4. in fin. verb. oder nahen verwandten*, ubi expressè disponitur, quod in parricidio in affines commissò pœna culei locum non habeat. Rationem reddit CARPZ. in *Pr. Crim. p. 1. q. 8. n. 37. §. 45.* quod noverca quidem parentis locò sit, ejusque nomine contineatur, verum minus propriè.

## §. LXXI

Sic 5.) injuriam pati videtur quod ipsa occidens

D 2

pri-



privignum vel privignam pœnâ culei teneatur, idèò, ut novercis aliis occasio in privignos fœviendi præripiatur. DECIANUS *in tract. crim. L. 9. c. 8. n. 6.* quam jure meritòque aliter sentiat CARPZ. *d. l. 9. n. 66.* ita quærens: *undè probabitur hoc, quod in jure nullibi fundatum, adeòque nec absque lege temerè asserendum est?*

## §. XII.

Verum quia injuria nobis nihil aliud est, quam quod quis vel contra leges, vel in fraudem legum agit aut patitur, ut jam supra C. 1. §. 10. diximus, istæ passiones huc non spectant.

## §. XIII.

Verè autem injuriâ afficitur noverca à MARI-TO quando e. g. ille liberis prioris matrimonii plus justò donat. Siquidem illud non solum in præjudicium ejusdem & deminutionem portionis post mortem mariti debitæ cedit, sed etiam legibus est prohibitum arg. L. 196. ff. d. R. J. L. 12. §. 13. ff. Solut. matr. Const. Elect. 7. p. 3. v. 5. gar oder zu Theil entwenden. Et CARPZ. l. 4. Ref. Jur. Elect. t. 3. de Priv. dot. Ref. 22. p. 716. seqq. ubi elegans de hac materiâ legitur præjudicium. Bene igitur VIRG. PINZ. *in quest. Sax. q. 28. n. 12.* sic donaturus nihil agit.

## §. XIV.

Noverca porro injuriâ patitur à PRIVIGNIS, si e.



fi e. c. quæ ipsi à patre justè donata sunt, injustè revocare fatagunt, certè de iis disputare, privigni.

## §. XV.

Equidem dantur quædam, quæ donare novercæ maritus non potest, v. g. vestimenta prioris conjugis, it. annulum sponsaliticium priori defunctæ conjugi datum, illa idè, quod nullum jus in iis, quæ prioris conjugii liberi sibi vindicant, ipsi competere potest. *Auth. lucrum C. d. Sec. Nupt. Novell. 2. c. 1. Nov. 22. c. 25. & quòd ad Geradam pertinent, quam non maritus, sed filibus non existentibus defunctæ cognata lucatur, BERL. p. 3. Concl. pract. 28. n. 47. hunc nempè annulum, eam ob causam, quod similiter ad Geradam spectat, & novo conjugio contrahendo novum quoque symbolum meritò adhibetur RICHT. sæpè cit. loc. §. 14.*

## §. XVI.

Quia imò quicquid ex bonis liberorum prioris matrimonii à patre superstite novercæ scienti datum, si neque pollicitatio neque stipulotio intercessit, h. e. nisi privigni consenserunt, restituendum est, & datio hæc nullam firmitatem juris habet. *L. 13. Cod. de Jur. Dot.*

## §. XVII.

Verum his & forsitan aliis exceptis, omninò donare potest maritus novercæ de bonis suis, frustra re-



30 DE INJURIA NOVERCARUM ACTIVA ET PASSIVA.


luctantibus privignis, arg. *L. 7. C. d. lib. Cauf.* modo ista  
requisita concurrant, quæ aliàs donationes inter conju-  
ges subsistere faciunt.

§. XIII.

Nec tenetur noverca ratione donatorum credito-  
ribus defuncti, exigentibus etiam privignis. *L. 15. C. de  
donat. L. ult. Cod. de Hered. act.*

§. XXI.

Ubi tamen observandum est, quod ejusmodi do-  
natio esse debeat modica, nec novercæ plus dandum  
sit, quam uni ex liberis prioris matrimonii, & si hi im-  
pari portione gaudent, quam filio cui minima portio  
est attributa; Quod enim *L. 6. Cod. de secum nupt.*  
dicitur de testamento, id GOTHOFREDUS *ad dict. leg.*  
obtinere dicit, quocumque titulô vel lucrandi pa-  
cto fiat. Et sic cum DEO FINIS esto.





**H**Actenus ipsa Tuas egit vigilan-  
tia causas,  
Et magna fovit spe Tua corda  
labor!  
Perge, favente DEO, virtutem ex-  
tendere factis,  
Majorumque decus laude nova-  
re tuâ.

*Hisce ex animo gratulatur Nobili  
& Clariss. Dn. Cand.*

**P R Æ S E S.**

**E**usebies, fili, sic pergis linquere  
sacra,  
Sic pergis Themidos castra pedes-  
que sequi.  
Munia sic renuis constanter patris  
obire  
Dura senescentis, remque Clie-  
tis agis. Sed



Sed facere hoc Numen patet inde,  
quod annuit aulis,  
Edoctròque Tibi jura brabéa pa-  
rat.

Sis pius & justus, faciet, qui fecit  
id ipsum,  
Ut Gradus iste Tibi commoda  
multa ferat.

*f.*  
M. JO. HEINR. Schmidt,

P. Macro-Saarenfis.

~~~~~  
**Q**uisque suæ Faber est fortune, quisque labori  
Atque suis factis proemia justa parat.  
Hoc, FABER in fabricâ Themidos beneculte, revelas,  
Dum TIBI per specimen florida ferta paras.  
Gratulor ex animo cæptis, conamine factò  
Ad potiora DEUS, si placet, Author erit.

Hæc gratulationis et perpetuæ memò-  
riæ ergo celeri manu apposuit

H. D. EICHEMEYER,

LL. C.

*Handwritten flourish*











T7-06 (1+12)

56.

ULB Halle

004 997 492


3











1719, 22-  
XXVII  
28  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

# INJURIA NOVERCARUM ACTIVA ET PASSIVA

QVAM  
CONSENSU ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS  
IN ALMA ELECTORALI UNIVERSITATE ERFORDIENSI

PRÆSIDE  
DN. ERNESTO TENZELL JCTO  
EMINENTISSIMI PR. ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO RE-  
GIMINIS, EACULTATIS JURIDICÆ DECANO, JUDICII PRO-  
VINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE, AC DICTÆ CI-  
VITATIS CONSULE PRIMARIO.

PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORALEM RITE CAPESSENDI

D. XIV. NOV. ANNI MDCCXIX.  
IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET  
AUTOR

JOH. HEINRICUS SCHMIDIUS MACRO-SAARA VARISCUS  
JUR. PRACT.  
HORIS CONSUVETIS.

ERFORDIÆ  
Typis JUNGNICOLIANIS.